

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Epistolarvm [epistolarum] D. Philippi Melanchthonis Farrago**

**Melanchthon, Philipp**

**Basileae, 1565**

**VD16 -M3220**

Reuerendo uiro,&c.D.Doctori Iusto Ionae,&c. Rector, magistri & doctores  
Academiae Vitebergensis

[urn:nbn:de:bsz:31-312770](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-312770)

seant exhibere foemineo sexui: habent honestas  
 causas choreæ. Quare non est permittendum, ut  
 mos ad disciplinam & humanitatem institutus, de-  
 prauetur obscenitate uel scurrilitate. Prohibemus  
 igitur, inter saltandum in gyros circumduci puel-  
 las, ut fit à quibusdam. Prohibemus & alia inhone-  
 sta exempla. Choreæ habent nomen à choris, qui  
 non tantum constant harmonia cantus, sed etiam  
 gestuum & morum. Hæc harmonia non est per-  
 turbanda. Sed mos honestus, honestè colendus est.  
 Si quis contra hoc edictum fecerit, in hunc seuerè  
 animaduertemus. Postremò petimus, ut memine-  
 ritis scholam esse officinam uirtutum: & præcipuè  
 nos in Christiana schola decet piè præstare, ne  
 propter mala exempla, doctrina religionis malè  
 audiat. Mandamus igitur, ut in omni consuetudine  
 uite modesti sitis, ac tranquilli.

Rector Academiæ Vitebergenfis.

Reuerendo uiro, &c. D. Doctori Iusto Io-  
 næ, &c. Rector, Magistri & Doctores  
 Academiæ Vitebergenfis.

S. D. Reuerende Domine doctor, & amice ca-  
 rissime, hodie mane tristissimas literas accepimus,  
 quarum alteræ ad illustrissimum principem Ele-  
 ctorem, alteræ ad reuerendum dominū pastorem  
 Eccle-

Ecclesia nostra, de morte reuerendi uiri & charissimi patris & preceptoris nostri doctoris Martini Lutheri, cum magna significatione mortificie ingenis scriptæ fuerunt. Erat ille omnino currus & auriga Israel, à Deo excitatus, ut Euangelij doctrinam instauraret & repurgaret, ut res ipsa ostendit. Neesse est enim fateri, per eum patefactam esse doctrinam, quæ supra cõspectum ingenij humani posita est. Tali doctore et gubernatore orbati, magno dolore afficimur, non solum propter nostram Academiam, sed etiam propter uniuersam totius orbis terrarum Ecclesiam, quam doctrina, consilijs, autoritate, & Spiritus sancti cõsilio regebat. Ac plurimum cogitatione periculorum ac tempestatum, quæ postquam ille ab hac statione tempestatum auocatus est, impendent, mouemur. Scimus autem te quoque magno in luctu esse propter similes causas, quibus nos angimur. Oremus igitur Dominum nostrum Iesum Christum, qui dixit, Non relinquam uos orphanos, ut deinceps Ecclesiam suam regat & seruet: & pro beneficijs, quæ nobis per Lutherum exhibuit, gratias agamus, & Lutheri memoriam grati retineamus. Hunc autem ad te nuncium misimus, ac petimus, ut mox nobis significes, quo die hic adfuturi sitis.

Bene & feliciter uale. 19 Februarij

Anno 1546.

Querela